

Vh
41





276.175 (39)

V_h
41

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE ANTE HOS CCXXIII. ANNOS

SCHOLAE ELECTORALIS

APVD GRIMAM

A. D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM INDICIT

ATQVE

AD AVDIENDAS

H. L. Q. C.

QVINQVE ORATIONES

ALVMNORVM ELECTORALIVM

INVITAT

I O. HENRICVS MÜCKE

A. M. ET SCHOLAE CONRECTOR.

*Lex Principis annalis, in Constitutione Scholastica, Electoralibus Scholis
nuper renouata, tanquam publice priuatinqve utilissima
commendatur.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BALE)

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA

BIBLIOTHECA
CONICKAVIANA



1110

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

1110





Quamuis eorum, qui iuuentutis in schola vtilissimarum rerum cognitione imbuendae, ac disciplinae saluberrimae veluti freno aliquo regundae prouinciam curant, tam multiplex sit ac varium officium, totque contineatur partibus, vt de eo scribentibus non defuerit materia ad iustam librorum mensuram explendam: tamen, si quis breuibus complecti, et paucis verbis velit omnia, et quasi in compendium mittere copiosius ab illis atque exactius tradita, is, si quid video, non melius atque adcuratius hoc faciat, quam verbis *Phoenicis* illius *Homerici*, qui se a Peleo Achilli iuueni comitem, et primae aetatis moderatorem datum esse dicit, vt illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. Sic enim *Cicero de Or. III. 15.* interpretatus est graeca illa, quae sunt apud *Homerum Il. i. v. 443.* μύθων τε ἐγρήγο' ἔμενον, πρηνετήρα τε ἔργων. Videtur vero pulcherrima haec boni praeceptoris idea obuersata esse *Plinio iuniori III. ep. 3.* vbi *Corelliae Hispullae*, Iulium Genitorem rhetorem commendauit, cui filium optimae spei formandum in vtroque illo genere traderet. Trade eum praeceptoris, inquit, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur. Mihi quidem sic est persuasum, ex omnibus rebus, quae vel ab illis, prisco aeuo, iuuentutis magistris requisieris, vel nostro tempore, in iuuentute non humanis solum litteris, sed diuinarum etiam rerum, et harum quidem maxime cognitione imbuenda requiras, nihil esse omnino, quod in illo exemplo *Phoenicis* esse omissum, iure aliquis possit reprehendere; nisi forte repugnantibus, quicumque de liberali disciplina primae aetati impertienda possunt existimare, hoc velit per aliquam contra disputandi lubidinem contendere, in illo disciplinarum veluti orbe, in quo pueri sint atque adolecentes mature continendi, pleraque esse, quae non tam actionibus ac vita referre, aut cum aliis etiam communicare opus sit, quam fideli tantum pectore imbibere, memo-

riaque tenere recondita, aut, quod inhumanius etiam sit dicere, quae non tam aliis puer, quam tibi ipsi didiceris. Iam vero si minime hoc est probandum, atque adeo in ista *dicendi faciendique*, quam *Quinctilianus Inst. Or. II. 3.* appellat, *facultate* omnia inesse sunt censenda, quaecunque vel bonus ac fidelis praeceptor docere, vel liberalis ingenii discipulus ab hoc cupiat discere: facile hoc est ad intelligendum, utramque rem ita esse comparatam, ut frustra sit futurus, qui duplex hoc consilium, vel discipulus, vel praeceptor, consequi se posse speret, nisi iusta ei tempora impenderit, diligentissimeque sibi cavendum duxerit, ne aut parum opportuna tempora ad illa, quae dixi, vel efficienda, vel consequenda eligendo, vel intra iusto brevius spatium, hoc quicquid est negotii, concludendo, spe sua excidat. Est vero haec ipsa res in causis, quare interdum per praecceptores haud stet, quo minus plus boni in scholis fiat, quod vel alieno tempore, cum nondum matura sunt iuuenum ingenia, res tentatur, vel quod nimis festinatur in academiam, antequam in schola, quae ad illud duplex consilium consequendum sunt praecipienda, satis sint praeparata. Ex quo vitio cum dici vix possit, quantum et in publicam rem, et in suam cuiusque eorum, a quibus hic peccatur, detrimenti redundet, quam egregie litteris prospectum dicamus ea nuper lege, quae inter alia, sapientissime et magno rei scholasticae commodo, a Principe partim ex antiquioribus legibus repetita, partim recens constituta, hoc quoque caput habet, quod tam de eorum, qui sunt in scholas electorales admittendi, aetate, quam de studio scholastico intra sexennii spatium concludendo praecipit, magno quidem argumento, quantum intersit, in aetate prima bonis litteris formanda, horum temporum adcuratissime haberi rationem, quorum observandorum legem scribere publicam, operae pretium visum sit.

Cum vero inter alias muneris nostri partes hoc etiam nobis, qui in hac schola publice docemus, in nova nuper lege gravissime sit iniunctum, ut proposito amplissimo fructu e bonis legibus sperando, disciplinae nostrae alumnos ad obsequium legibus promptissime praestandum graviter cohortemur: hoc maxime tempore, quo memoriam dedicateae ante hos CCXXIII. annos a Mauricio scholae, quae, favente Deo, bonis legibus adhuc stetit, pie celebrandam, solemniprofusione indicere instituimus, rem suscepturi nobis videmur, et partibus nobis publice impostis, et rationibus alumnorum nostrorum

con-

conuenientissimam, si breuiter nunc ostendamus, quam praeclare lege illa Principis, quam, exemplo *Villiae legis*, annalem breuitatis causa nominare lubet, et reipublicae saluti sit consultum, et eorum, qui literis discendis in scholis electoralibus vacant, rationibus, ac duplici illi, quod ante diximus, consilio. Quod si nobis contigerit, vt persuadeamus lectoribus nostris, neminem fore putamus eorum, qui vel in filiorum secum educandorum societatem nos vocent, vel nobis ad ingrediendum et persequendum litterarum cursum ducibus vtantur, ita nostro, ex illa Phoenicis Homerici ratione, iuuenes formandi consilio repugnantem, vt priuati potius lucri turpi cupiditate illectos, quam muneris nostri partes recte obeundi, atque adeo communis boni nostra opera qualicumque amplificandi studio ductos, quidquam nos agere criminetur, si legis, quam diximus, annalis auctoritatem publice sancitam diligentissime commendemus nostris, et ne quid contra illam fiat, quantum per nos steterit, intercedamus. Neque enim nos ex eorum sumus numero, quos *Quintilianus* iure reprehendit *XII. II.* quippe *libenter detinentes eos, quos occupauerint, partim cupiditate diuini exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit, quod polliceantur.*

Antequam vero ipsam hanc de lege principis annali publice priuatimque salutaris disputationem ingrediar, prima haec mihi quaestio occurrit, ante omnia expedienda: cum litterarum cognitio sit in earum rerum numero, in quibus diuersitas ingeniorum statam, quae in omnibus valeat, formulam repudiare videatur, an omnino fieri debeat, vt ad certam temporum legem scholasticam rationem adstringas? Videtur vero plane nobis adsumenda quaestio, siue doctissimorum virorum, atque instituendae iuuentutis peritissimorum, quae de hac re fuerunt, sententias consideremus, siue disciplinam veterum, non solum priuata persuasione, sed publica adeo auctoritate constitutam, quam in tali re, vt in aliis multis veluti regulam sequi, neminem poeniteat, siue rei, de qua cum maxime quaeritur, naturam. Quamuis enim tam diuino interdum sint pueri ingenio, vt post breuissimi temporis institutionem videantur *imbibisse, quicquid est sapientiae*, vt de Gerardo *Grotius*, in *poematis*, dicit: tamen hi oppido pauci sunt, quorum praecox maturitas non impediatur, quo minus ita stadium in schola decurrendum definias, vt nec eorum, qui excitatori sunt ingenio, frena iniiciendo, alacritatem morari, nec

horum, qui stimulis habent opus, tarditatem, iusto breviora tempora concedendo, omni omnino spe intercludere videare. Adpareat hoc facillime, vt de doctorum virorum consentientibus nobiscum suffragiis primo loco dicam, illorum inter se iudicia comparantibus, quos in *Polyhistore Morhofius P. I. L. II. cap. 10. de curriculo scholastico* recensuit, spatia disciplinae scholasticae non vna ratione intra certum annorum numerum redigentes. In quibus equidem *Ieremiae Hoeltzlini* eius, qui *Apollonio Rhodio* edito inclaruit, rationem maxime probauerim, qui in dissertatione de *Hexaëtia scholastica* sexennio, vt leges nostrae scholasticae, terminandum cursum scholasticum statuit; modo huic in illo tempore nobiscum conuenisset, quo ingredi stadium litterarum in scholis electoralibus leges iubent eos, qui, satis maturo ad eligendum vitae genus iudicio, domicilium aliquando in litteris constituere decreuerint, et praegustatis in scholis inferioribus disciplinis iis, quae non solum litteratis, sed omnino omnibus scitu sunt necessariae, in eas sese scholas conferunt, e quibus instrumenta eruditionis, quae proprie dicitur, sibi parandae reportent. Cum igitur *Hoeltzlini hexaëtia* ingenii praestantioribus, quae tamen sunt pauciora, quam reliquis videatur aptior, ea potius formula hic erit constituenda, quae vtrique generi conueniat. Hinc ego praeulerim *Michaelis Neandri* et aliorum, quos *Morhofius* habet, consilia, tirocinium in schola ante annum duodeuicesimum vel viceesimum etiam ponere vetantium. Nec tamen attinet copiosius haec disputare, quippe quae ex illis, quae posthac dicentur, satis, opinor, adparebunt. Hic vero satis sit doctorum virorum consentientibus iudiciis ostendisse, leges annales scribere litterarum cultoribus in schola, quibus vel festinantium celeritas retineatur, vel cunctantium tarditas virgeatur, non esse rem a studiorum ratione abhorrentem. Antiquitatis vero auctoritatem ad efficiendum hoc, quod quaerimus, requirentibus, et priuatorum hominum instituta, et principum leges occurrunt, quibus illa doctrinae liberalis studia ad certam annorum formulam redigendi ratio, ad iuuandas litteras valde necessaria sit visa. Ad illa referenda est *Pythagorae* lex, de silentio a discipulis eius, per integrum quinquennium, sanctissime olim obseruanda, quam quidem non poterit vt ridiculam damnare, si quis, qualis haec ἐχρημάσις fuerit certa annorum lege circumscripta, reputauerit, idemque si perpenderit, quam adcommodatum sit ad adcuratam rerum cognitionem

tionem consequendam, illam iudicandi temeritatem, quae fere solet ineunti aetati propria esse, ita coercere, ut, antequam maturitatem facultas iudicandi consecuta sit, praeceptoris eam auctoritati subiicias. Hoc vero vel maxime speciasse *Pythagoram* in ista lege, *Schefferus de philosophia Italica p. 119.* docuit, ubi multiplices huius silentii demonstravit fructus. Publica etiam auctoritate scriptas leges scholasticas laudare licet, quarum exemplo admoneamur, quantum ad discipulorum studia adiuuanda referat, certis ea adstringere temporibus, ne vel multitudine rerum obruta fatiscant ingenia, vel praepostero ordine turbata optato sine excidant. *Iustinianus* quidem *Imperator*, postquam omnem legitimae scientiae ambitum corpore iuris ciuili, quod dicitur, comprehenderit, atque adeo studiosis iuris, in tribus, quarum tum incluta iuris studio fama erat, scholis, Constantinopolitana, Romana ac Berytensi, librum commendauerat, e quo tanquam ex aliquo fonte haurirent, quicquid olim iustitiae sacerdotibus ipsis futuris scitu opus esset, hoc etiam modo discipulorum studiis prospectum voluit, ut singulis stadiis, in illo iuris discendi cursu, sua tempora assignaret. Hinc ex disciplina iam antea in istis scholis recepta, integrum quinquennium curriculo in schola emetiendo dandum statuit, quod ipsum tamen rursus quinque veluti milibus vellet absolui, ita, ut primo anno ex institutionibus iuris, quas ipse edendas curasset, adiunctis quatuor libris, quibus *περὶ τὰ* digestorum continentur, iuris vniuersi praegustum quasi praeciperent studiosi, primi Iustiniani exinde, ab imperatoris nomine dicti, quod honestius visum est nomen, et dignius liberalis doctrinae cultoribus, quam illud dupondiorum, quo ante illa tempora quodammodo fuerant infames. Annum secundum, tertium, et quartum Pandectis, vasto operi, partitis ad leuanda discipulorum studia pensis, impendi voluit, nihil mutatis nominibus studiosorum. Altero enim anno edictales, tertio Papinianistae adpellabantur, seruata vna cum his nominibus methodi eius, quae ante *Iustinianum* fuerat, nec dum plane abrogata, memoria, ex qua edictum perpetuum ab antecessoribus explicandum, annum secundum, *Papiniani* libri autem tertium occupauerant. Lytarum etiam nomen mansit anno quarto, quo ex pandectis quicquid adhuc superesset, tradebatur, ita, ut maximam partem decurso stadio, quaestiones iuris explicandi facultatem ipsi iam periclitari inciperent. Quinto denique anno, a meta proximis, qui *Prolytae*, quippe emeritis quasi

quasi stipendiis propediem honestam missionem a magistris consecuturi, dicebantur, codex diligentius versandus tradebatur. Contineatur haec lex scholastica, quam annalem quoque possis appellare, in prooemio *digestorum de ratione et methodo iuris docendi ad antecessores*. Nec vero opus est de re nota plura dicere, cum ex iis, quae attulimus, satis adpareat, quod quaerimus, a natura studii eius, quod in disciplina liberali vel vniuersa, vel eius aliqua parte occupetur, non abhorreere, certis veluti annorum metis discantium, cursum circumseribere. Quo minus hoc mirabile cuiquam videatur, principem nostrum sapientissimum, noua lege scholastica nuper promulgata, de tempore etiam nonnihil constituendum putasse, quo vel recipiendi a nobis in coetum alumnorum electoratum essent, vel ex disciplina scholastica dimittendi, quos ipse in spem patriae educari hic iussisset. Haec enim duo illa capita sunt legis annalis, quam publice priuatimque vtilem esse, ostendere cum maxime institui. Ordiam a primo, de quo *cap. II. Const. Schol. renov. §. 9.* est ita sancitum, ne pueri admittantur, nisi, quorum aetas intra terminos annorum decimi tertii, et quinti decimi sit constituta. Quid in ea lege princeps spectauerit, non potest esse obscurum considerantibus, quanta incommoda inde consequantur, si ante aetatem legitimam pueri ad nos accedant. Nimirum si rudiores adhuc, ut sunt fere ista aetate, huc mittuntur, nullum possunt, vel certe valde exiguum e lectionibus publicis capere fructum, cum ex disciplina scholae nostrae raro singulis classibus suis vacet praeceptor, assideantque singulis praeceptoribus auditores, diuersis fere profectibus, atque e diuersis ordinibus. Hinc, si qui intersunt omnium adhuc rerum ignari, quo pacto poterunt assequi praeceptorem, cui, ni velit morari reliquos, festinandum saepe est, ut ad metam propositam perueniat. *Ut igitur vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt; sic maiora intellectu velut parum apertos ad percipiendum eiusmodi puerorum animos non subibunt,* quae *Quintilianii* verba sunt. Ita vero fiet, ut, lapsa iis sine fructu tempore, quo in ordinibus inferioribus ad difficiliore doctrinae liberalis partes erant praeparandi, et procedentibus per singula semestria promotionibus scholasticis, prouehantur ad eos ordines, vbi necessarii praesidiis ad percipiendam disciplinam, quae prouetiori aetati traditur, destitutos taedium tandem illos litterarum capiat, in quibus, sine elementorum cognitione, sentiant, se nihil posse, quam

vis velint, proficere, aucta quotidie rerum discendarum multitudine et grauitate, imminuto vero cum maturiore aetate memoriae vigore, quo ad initia doctrinae liberalis et arripienda, et tenenda vel maxime est opus. Facillima haec sint ad intelligendum, methodum docendi litteras, cum omnino in scholis iis, in quibus solidioris disciplinae partes traduntur, tum in electoralibus scholis Saxoniae nostrae, per leges Principis publice constitutam, cognitam habentibus, adeo, vt ex iis, quae diximus, satis adpareat, quam sit salutaris discentium rationibus lex annalis ea, quae de maturitate ad percipiendam scholae nostrae disciplinam, cum aliis ex rebus, tum ex legitimae aetatis termino nos iubet existimare.

Sed addendum adhuc est, quod vulgo negligitur, quod tamen et eorum ipsorum, qui litteras colunt, et reipublicae causa optandum sit, vt velint exaudire, quicumque adolefcentes litterarum studiis consecrant. Scilicet, quod iis, qui in scholis docent, rarius ex sententia succedit, quod profitentur, consilium, iuuenes litterarum studiosos ad illam, quam supra diximus, recte et dicendi et faciendi facultatem adducendi, non semper vel iuuenum ignauia vel magistrorum incitia accusanda est. Multi enim puerorum inuiti et obtorto quasi collo abripiuntur ad litterarum studia tractanda, antequam ipsi iudicare de rei vel difficultate, vel dotibus suis possint, propter ingenii imbecillitatem ac tarditatem nulla arte expugnandam, opificio cuiusque, vel arti etiam paulo liberaliori, in qua tamen minores partes ingenii sint, magis idonei futuri, si suo ipsorum arbitrio relictum fuisset, matura ad iudicandum de hac re aetate, vitae sibi genus eligere, in quo operae pretia possent mereri. Magna sane res est, et magni ad fortunam et suam cuiusque, et reipublicae, in qua viuat, in vtramque partem momenti, quis cursus per totam vitam sit sequendus, decernere. In quo cum non aliorum auctoritatem potius, quam suum quisque sensum sequi debeat, quis non admiretur *Prodicum* apud *Xenophontem* sapientiam, quid de aetate ad iudicandum de tanti re momenti matura existimaret, in illa notissima fabula significantis, in qua *Herculem* narrabat exisse in solitudinem, deque vitae genere deliberasse, *ἐπεὶ ἐκ παιδῶν εἰς ἡβὴν ὤρμητο, ἐν ἧ' οἱ νεοὶ ἦδη αὐτοκράτορες γυγνόμενοι δηλοῦσι κ. τ. λ.* Iam, si, quemcumque vitae cursum ingrediare, maturitas illa aetatis ad eligendum idonea requiritur,

ritur, quanto magis illa videatur opus esse in iis, qui ita consecrari litterarum per totam vitam tractandarum studiis debent, ut ne sui ipsos consilii poenitere unquam possit? Nemo igitur erit, qui illam *Prodi* sapientiam miretur, quin idem publice priuatimque salutarem, principis nostri legem, sapientissime constitutam, praedicet, qua ante illam aetatem vetuit ad electorales scholas accedere pueros, quae vltro potius litterarum colendarum consilium cepisse, quam aliorum imperio coacta videatur. Nobis quidem ita est de huius legis insigni utilitate persuasum, ut multo pauciores, si illa ubique valeret, futuros credamus, qui iuuita Minerua litteras tractantes, magno suo incommodo, et saepe sero experiantur, id quod *Seneca* dicit, *male coacta ingenia respondere*, quique adeo sortem suam accusent, vel potius eos, per quos ipsis non licuerit, eam arbitrato suo vitae rationem eligere, ad quam ipsi suo potius sensu, quam aliorum iudicio viderentur idonei.

Venio nunc ad alteram legis annalis, a principe nobis scriptae partem, tanto illam quidem magis etiam commendandam alumnis electoralibus, quanto frequentius a multis, magno et suo, et reipublicae damno, hic solet peccari, cum, taedio vitae scholasticae, ac desiderio peruerso maioris, quae in academia viuentibus datur, libertatis, quam tamen licentiam verius dixeris, sexennio nondum exaeto, tirocinium in schola ponere gestiunt, nescio quae valetudinis incommoda, quas beneficiorum in academia impetrandorum spes, moram, opinor, non patientes commenti, quibus veniam ante tempus legitimum discedendi impetrent. Quae peruersa ratio festinandi e schola discessum quam sit iuuenum studiis atque ipsi adeo reipublicae noxia, etsi haec disputatio non esset a consilio meo aliena futura; tamen nolo nunc dicere copiosius, cum nihil in hoc loco mihi reliquum fecerit Viri scholae nostrae regundae prudentia multisque de re litteraria meritis celeberrimi *programma*, de *festinato iuuenum e schola discessu*. Iniecta mentione Viri, de mea olim iuuentute, bonis litteris in hac ipsa schola formanda, immortaliter meriti, iam vero collegii, multorumque officiorum necessitudine coniuncti, non possum mihi temperare, quo minus hoc ipso tempore, quo vota pro salute scholae sunt facienda, ex animo optem, ut ei post valetudinem grauitur adhuc, magno nostro omnium cum metu, tentatam, vita

vita longæua omniumque bonorum copiâ abundantissima, fauentis scholæ nostræ Dei beneficio, obtingat. Sed redeundum est ad locum eum, vnde pietate nunquam intempestiua commoti paululum fumus digressi. Scilicet hoc maxime nunc est nobis ostendendum, quam salutaris sit publice priuatimque, quam adcommodata ad illam recte agendi dicendique facultatem, quæ hic rraditur, consequendam lex principis de integro sexennio, in schola electorali, sub disciplina praeceptorum exigendo, quæ continetur *Consl. Schol. renouatae c. II. §. 15.*

Iam primum, quæ ille vitæ humanæ veluti actus, qui sexennio scholastico est comprehensus, habeat propria, quibus veluti partibus agendis a sapientia Dei sit destinatus, consideremus. Nimirum præcipua hæc ætas, beneficio diuino, multa habet bona, quæ illam debent admonere, vt insequentis vitæ felicitati mature prospiciat, et viuendi cum dignitate ac *suauitate* præsidia sibi comparet. Quibus neglectis, si quis per socordiam ac luxum tempus transmiserit, aut voluptatibus corporis animique vires fregerit, illicet, de spe eius actum sit, nec reparetur facile iactura, quam quisquam culpa sua, ista ætate, vel famæ, vel pudoris vel valetudinis fecerit. Atque nulla ætas ob vim cupiditatum ferocius se efferentium ad peccandum in hac parte est pronior. Nec multi sunt, quibus tam liceat esse beatis, vt e disciplina scholastica dimissi custodem iuuentutis ac rectorem eum reperiant, cuius vel grauitas ferociores a licentia deterreat, vel prudentia a fraudibus corruptorum, empaectarum maxime religionis, quibus, vt nostra sunt tempora, iuuenes vndique fere sunt circumfusi, defendat, vel denique indutria ignauiam excutiat, si ea adhuc sit ætas e schola discedentium, quæ ipsa sua virtute nondum satis sit tuta, nondum satis confirmatum pectus habeat. Quod igitur paucis, iisque non nisi beatorum filiis fortunæ fauentis benignitas dedit, hoc omnibus, quicumque ex voluntate principis, et adulti pueri ad nos deduci, et iuuenes etiam facti per aliquod tempus debent apud nos perseuerare, parauit principis lex annalis de sexennio scholastico, in quo ætas ad peccandum pronior, nec dum satis matura adpositos semper habeat morum atque integritatis custodes, praeceptores ipsorum saluti optime cupientes, quorum ex collegio, singulis hebdomadibus, vnus in orbem in specula constitutus,

tus, vna cum illis iisdem aedibus interdiu et noctu habitet, saepius nec opinantibus obrepat, caueatque, ne quid contra officium alumni faciant, quod non fecisse, maturiore aetate, magno, sed frustra redemptum cupiant. Hanc disciplinam in scholis electoralibus publice sancitam, haec instituta sexennio adstricta, nisi quis publice priuatimque vitia profiteatur, nae is, necesse sit, aut iuuenum ista aetate ingenia maxime lubrica non habeat cognita, aut non intelligat, quod tamen non tantum singulis viris sapientibus, sed integris adeo gentibus reipublicae optime institutae fama olim florentissimis, Graecis puta ac Romanis accepimus olim fuisse maxime perspectum, consuetudinem perpetuam cum viris probis et iuuentuti optime cupientibus, et ad plurima peccata cauenda, et ad constituendam regundamque ineuntis aetatis inscientiam, longe esse omnium accommodatissimam. Laudamus, idque merito, Spartaе *συσσιτια*, quibus iuuenibus in cibo adeo capiendo custodes erant adpositi viri aetate graues; laudamus Romanorum morem iuuenes nobilissimos magistratibus in prouincias euntibus, imperatoribus vero ad bellum proficiscentibus commendantium, vt illorum comites, horum vero contubernales contra corruptelas aetatis adultae muniti essent, atque reipublicae vel pace vel bello regundae artes mature discerent. Aut igitur nostra aetate iuuenes citius sapere, atque adeo commodius seniorum, certe vsu atque experientia magis exercitatorum assiduo contubernio carere posse, aduersante ipsa temporum nostrorum experientia, contendamus, aut nostro seculo gratulemur, cui talis, beneficio Dei, contigerit princeps, qui fastidio disciplinae scholasticae, cuius vinculis saepe ferociores iuuenuli, magno et suo ipsorum et reipublicae incommodo exuere se iusto citius cupiunt, iis legibus occurrere voluit, quibus si in posterum prompte et lubenter illi obsequantur, quid non reipublicae, quid parentibus talium iuuenum, quid non iuuenibus ipsis ab ista disciplina publice constituta, fas sit, sperare?

At multos hic audio, cum dicunt, non posse statam, et quae eadem sit in omnibus, valere hic formulam; non omnibus discere omnia, quibus in schola discendis sexennium illud sit destinatum, necesse, imo ne vtile quidem esse. Quorum enim graeca et hebraica, et alia, quae magnam illam sexennii partem occupent, Theologiae olim,

olim, quam iuris, aut alius cuiuscunque disciplinae studiosis olim futuris utiliora, disci? Quasi vero tum ad religionis nostrae sanctissimae cognitionem, tum ad alias doctrinae liberalis partes percipiendas poenitendum sit studium, quod ista aetate, quae, nisi varia habeat, quae agat, male agere propter iniquum ingenium facile discat, in litteris vtilissimis occupatur, quae cum disciplinis altioribus, quales vocantur, arctissimo vinculo haud raro futuro tempore coniunctae cognoscantur, quaeue, si nullum alium habeant usum, iuuenum certe mentes ad capiendum vniuersae disciplinae liberalis ambitum aperiant. Quis vero non creberrime audiat iuuenes litterarum studiosos in academiis, cum fastiditi in scholis graecarum aliarumque litterarum studii poenas suo tempore dantes, magno se dicunt redempturos, nisi ante tempus festinassent ad seueriora studia, neglectis per vecordiam, quibus cum maxime opus se habere sentiant. Quid vero? Si ceiores quidam ingenii motus habeant, vt, ad quae profliganda aliis sexennio sit opus, intra multo breuius spatium possint absoluerere? Hos vero nonne moratur illa de sexennio lex in schola exigendo? Illi vero, cum non opus habeant cum tardioribus operosa ad lectiones praeparatione, et minutarum rerum repetitione, honesto, quod in schola conceditur, otio, quodue in academia, vbi plurima sunt quae agas, frustra sibi denuo dari, maxime ii, quos res familiaris angusta de pane lucrando sollicitos esse cogit, optent, hoc igitur otio ad auctores veteres graecos ac latinos, priuato studio, adhibitis, vbi, haereant, in consilium praeceptoribus, qui sunt in proximo, vtantur. In ipsis vero lectionibus publicis, ingenio viuidiore, et saepe parum intellectis rebus ad reliqua festinanti, ad coercendam *δουλοκρασίαν*, vincula quaedam quasi iniici gestiant, quaeue sint in tardioribus iuuandis praeceptorum compendia, discant; et satis magnum nauatae per sexennium, quo maxime maturescat ingenium, in audiendis praeceptoribus scholasticis, operae fructum et ipsi capiant, et respublica, cuius plurimum interest, non solum eos ipsos, qui ex scholis prodeant, *μύθων τε ἐπητήρας* esse *πρῆκτῆρας τε ἔργων*, sed alios etiam rursus tales posse efficere.

Ex omnibus vero rebus, quae ad taedium disciplinae scholasticae coercendum, atque ad commendandam legem annalem principis,

de consilio sapientissimorum doctissimorumque virorum rogatam, plurimum valeant, nescio, an quidquam grauius adferri possit, quam, quod per eam, nisi ante sexennium, quo maxime ad haec agenda maturefcatur ingenium, discedatur e schola, maxime opportuna alumnis electoralibus de patria datur bene merendi, et docendi alios rursus, quae ipsi sint in scholis prouincialibus docti, opportunitas. Quod quidem quam sit optabile, vel ex eo intelligatur, quod illa bene dicendi et recte agendi disciplina, quae in schola traditur, non tantum praeceptis, sed vsu maxime atque exercitatione constat, inque earum rerum est numero, in quibus, si ad actum venerint, laborent, haereant, atque etiam ab optima disciplina non multum homines iuuentur, si vsus non sit in ipsis adeo scholis adiunctus. Sapientissime igitur hoc in scholis electoralibus est institutum *Const. Schol. renouata c. II. §. II.* vt prouectiores alumni tironibus comites stadii in litteris decurrendi, iudicio praeceptorum, dentur, prout quemque ingenio et profectibus commilitonis sui studiis iuuantis maxime idoneum praeceptores existimauerint. Hoc vero consilio terni apud nos in singulis museis habitant, ista contubernii et, quae cum ea coniuncta est, institutionis necessitudine, cum singulis promotionibus scholasticis, per singula semestria, de communi praeceptorum consilio, renouanda. Quam opportunum hoc sit institutum iis, qui velint *μύθων ἐπιήρηες* in schola fieri, quid attinet dicere, cum res ipsa loquatur? Quid enim ad docendi facultatem consequendam, omninoque adcuratam rei, quam edoctus sis, cognitionem, adcommodatius, quam habere, quicum statim, quae didiceris, communices, in quo institutionis compendia a praeceptoribus magno tuo cum fructu adhibita, tractare discas, habere in proximo praeceptores, qui istud instituendi alios studium, consilio, exemplo, corrigendo etiam regant, habere autem ea aetate, quae ad fructus ex hac disciplina, nisi quis in fraudem legis sexennii scholastici publice constituti spatium contractum cupiat, satis sit matura. Iam vero ad bene de patria, instituenda iuuentute, merendum, atque adeo ad illam, quam saepe dixi, recte agendi disciplinam exercendam, quam expedita alumnis nostris, nisi ante legitimum tempus e schola discedendo haec instituta frustrentur, via panditur! Admissi enim liberalissime a praeceptoribus in societatem pulcherrimi de patria meriti, qui prouectio-

res sunt, vsuque et annis magis confirmati, tardiores adiuuabunt; negligentiores vrgendo atque instando excitabunt; nihil in lectionibus publicis morabitur praeceptorem; illi res minutas, quas praeceptor, ne taedium excitatoribus crearet, leuiter attigerat, identidem inculcabunt, praeceptorum communium, a doctore traditorum, assidue leuiculos admonebunt; exemplo etiam ad aemulandam pietatis probitatisque laudem impellent, omninoque insignia institutionis priuatae commoda cum publica communicabunt, efficiantque adeo, vt magna pars querelarum sublata videatur, quibus moti, *Quintilianiam* aetate, vt videmus ex *Inst. or. I. 2.* fuerunt, qui a publico prope more priuata persuasione dissentientes, vtilius statuerent esse, domi atque intra priuatos parietes studentem continere, quam frequentiae scholarum et publicis praeceptoribus tradere. Equidem vt non negem, quod illi dicebant, *quisquis sit praeceptor in priuata institutione, liberalius eum tempora impensurum vni, quam si eadem in plures partiatur*: tamen vide, an huic rei, quae in publica schola displiceat, egregie sit prospectum, per illa scholarum electoralium instituta, per quae singuli singulis vacent, et quae vniuersis sint tradita, magno tironum cum fructu inculcent, modo in iuuenibus voluntas ingenua, bene merendi non desit, nec cura praeceptorum, idoneos, et ingenio cuiusque eorum, cui priuata institutione consultum cupiant, ad commodatissimos ad istam prouinciam institutionis eligentium, et viam ad praecelaram in hoc genere de patria bene merendi, vna cum ipsis, laudem expetendam, consilio, exemplo, opera monstrantium. Quid ista alumnorum nostrorum bene merendi studia, praeceptorum monitis regunda, in subleuanda iuniorum infirmitate, vel alacritate etiam magis incitanda, integritate vero morum custodienda prodesse possint, et ipsi exemplis sumus experti, et eodem, quem paulo ante atulimus, *Fabius* loco ostendit, vbi incipientibus atque adhuc teneris condiscipulorum, quam praeceptoris iucundiorum, dicit, *hoc ipso, quod facilius sit, imitationem esse futuram*. Num igitur poenitere quemquam iure poterit, integrum sexennium, lege principis constitutum, in tam praeclearis patriaeque vtilibus institutis occupare, quibus si obtemperes, et bene dicendi recteque agendi disciplinam pulcherrime exerceas, et *ἑρπύγην* quodammodo perfoluas patriae, perfoluas principi; dulcissima vero recte in schola actorum conscientia per totam vitam fruare;

fruare; sanctissimas denique amicitias contrahas, quae institutionis priuatae necessitudine constrictae per totam vitam maneant?

Vnum non, possum mihi temperare, quo minus ad commendandam legem principis annalem adhuc addam. Scilicet in ciuitatum morbis est etiam hic, quod interdum iuenculos videmus muneribus grauissimis admotos, atque eo in loco constitutos, vbi destituti adhuc rerum vsu eo, qui ab annis est, grauissimas reipublicae partes administrent. Prima istius mali causa in eo est quaerenda, quod multis ante tempus legitimum e disciplina scholastica dimissis academicum posthac tempus citius decurrit, quam sunt ad munus aliquod suscipiendum satis maturi. Quid igitur respublica poterit sperare ab his, qui cruda adhuc studia in fora, in cathedras propellunt, omninoque earum se artium facultatem habere profitentur, ad quas cum reipublicae commodo tractandas, vt ingenium quibusdam haud desit, vsus tamen atque auctoritas desideretur. Quam salutaris igitur est reipublicae mora illa, quam festinantibus ad munera consequenda iuuenibus iniicit lex scholastica annalis, de integro sexennio, sub disciplina praeceptorum, in schola ita exigendo, vt et praeparati magis ad academica studia, et contra corruptelas iuuenum et licentiae blandimenta confirmati, omninoque ad cursum academicum ingrediendum maturi, tanto diligentius posthac in comparandis praesidiis bene de republica, in munere publico, olim merendi versentur, quanto magis per aetatem valeant, ad intelligendum, quid munerum, quorum olim partes rite obire cupiant, ab ipsis grauitas requirat.

Haec delibare potius, quam exhaurire, atque adcurate disputare visum est de vna legis scholasticae nuper promulgatae parte, publice priuatimque vtilissima. Omnes enim persequi, non mea voluntas, sed angusti huius scriptionis termini, materiae autem explicandae copia prohibent. Dedimus vero hoc negotii quinque scholae nostrae alumnis, et a probitatis, et ab ingenii laude commendabilibus, vt per opportunitatem, quam anniuersarium solemne huius scholae, et auspicari natalis illius celebratio praebet, in partes nostras succedant, et nostro exemplo coeptam telam, in orationibus

bus habendis hoc tempore, continent. Ita enim putauimus futurum, vt immorantes cogitandis legibus sibi patriaeque vtilissimis, et in commentandis iis continentes commilitones, et ipsi muneris principalis cum bonis legibus praebiti magnitudinem agnoscant, atque, vt agnoscat ab aliis, efficiant. Quicumque igitur iuuenum, ex legibus officium facere gestientium, atque in spem patriae laetissime adolescentium studiis fauetis, Viri Generosa; Reuerenda ac Nobilissima Dignitate, excellenti doctrina, amplissimis meritis conspicui, date hoc precibus nostris, date rectissimis honestissimisque iuuenum liberalissimorum studiis, date denique ipsis bonis litteris, quae fauentium frequentia florent, vt non aures modo, sed etiam animos oratoribus nostris adcommogetis. Videte vero indiculum eorum, et quo deinceps lampada sibi inuicem sint tradituri, ordinem:

IO. ADOLPHVS STEGER, *Kitschera Misnicus*, praedicabit *immortalia Principum Electorum Saxoniae inde a Mauricio merita, in re scholastica sapientissimis legibus constituenda.*

CAROLVS GOTTLOB KVHNIVS, *Spergauensis ex agro Martisburgensi, curam Principis, Nutritoris nostri incomparabilem in re scholastica nouis nuper legibus constituta, magnum, ostendet, esse discentium, ad officium faciendum, incitamentum.*

IO. GOTTHELFF HOCHMVTH, *Kirchberga Montanus*, laudabit *disciplinam scholarum Electoralium in Saxonia, legibus Principum constitutam, ob magnam, quae ineunti aetati in iis datur, de patria bene merendi opportunitatem.*

GEORGIVS PHILIPPVS BVCK, *Camitza Saxo, Scholae humaniorum litterarum ad normam legum nostrarum scholasticarum constitutae, ipse Augustanae Confessionis iudicio ecclesiae demonstrabit vtilis esse, simulque pro salute scholae nostrae vota in futurum tempus suscipiet.*

CAROLVS ADOLPHVS SCHVLZE, *Muhlbeza Saxo, commendabit commilitonibus aequitatem legis scholasticae, de alimentaria munificentia Principis Nutritoris nostri ab alimentariis pie colenda, pietatis suae specimen ipse editurus, votis pro salute Principis, et Domus Augustae nuncupandis.*

C

Ora-

QX 26 41

XVIII

Orationibus his, in auditorio nostro maiori, post sacra in templo
peracta, hora VIII. matutina habendis, destinatus est dies XIII. Se-
ptembris, ob memoriam dedicatae ante hos CCXXIII. annos scholae
nostrae sacer. Quem vt eo, quo diximus, modo, maxime vero
gratiis Deo, Statori huius scholae, agendis, et commendandis in
posterum fauori Diuino rebus nostris, ac studiis, festum nobiscum
agere velint, quicumque nobis bene cupiant, officiosissime roga-
mus. Scripsi in illustri Moldano, a. d. III. Kalendar. Septembr.
A. R. P. C. S. CIOICCLXXIII.

=====

m.c.



Pou Vli 41, Ou

ULB Halle

003 715 582




3

f

WR





B.I.G.

Farbkarte #13

Vh
41

M ANNIVERSARIAM

ANTE HOS CCXXIII. ANNOS

ELECTORALIS
D GRIMAM

XIV. SEPTEMBRIS
RANDAM INDICIT
ATQVE

V DIENDAS

H. L. Q. C.

ORATIONES

YM ELECTORALIVM

N V I T A T

RICVS MÜCKE
SCHOLAE CONECTOR.

*Constitutione Scholastica, Electoralibus Scholis
quam publice priuatimque utilissima
commendatur.*

IPSIAE
CINA LANGENHEMIA

